

In memoriam professoris Petri Kuklica

Daniel ŠKOVIERA

Illis eruditis Slovaciae procul dubio adnumerandus erit Petrus Kuklica, qui quamquam non a primis cunabulis praedestinati attamen ad gradus academicos supremos pervenerunt. Hanc lucem enim aspexit die 24. mensis Iulii anno Salutis 1933 in familia pauperrima, quae in pago veteris comitatus Arvensis Dedina Dominorum vel Zemianska Dedina vitam degebat. Nullo itaque ambitu familiae litterato adiutus nisi amore suo librorum, ingenio et favore optimorum magistrorum ducebatur. Ut nobiles loci studia eius gymnasialia in malam partem tamquam cupiditatem honoris nimiam ferebant, ita proceres dictaturae proletariae, qui tunc res publicas tenebant, Petrum adolescentem testimonio maturitatis summa cum laude ornatum a studiis universitariis prohibebant eam afferentes causam, quod a classe proletaria dissentiret. Appellatione interposita ceterisque difficultatibus superatis tandem inscriptus est iuvenis pertinax in Facultate philosophica Universitatis Comenianae anno 1953 linguae Latinae et historiae operam daturus.

Quamvis peregrinationes academicae illo in tempore minime reciperentur, duobus semestribus anno Brunae, in capite Moraviae, commorari et studia classica continuare ei licuit. Docebant tunc in universitate Brunensi Hieroslaus Ludvíkovský, qui professoris partes olim in universitate Comeniana egerat, Ferdinandus Stiebitz, interpres poetarum veterum apud Bohemos illustrissimus, Franciscus Novotný, vir honoratissimus, in pluribus disciplinis philologiae optime versatus, imprimis autem Platonem philosophum professus. In amicitias venit noster etiam eorum, qui ad litteras antiquas docendas eo ipso tempore accedebant, ut Antonius Bartoněk vel Radislaus Hošek. Motum instituti Brunensis tum negotiis plenum, tum amicitiae satis indulgentem Kuklica qua erat docilitate adeo admiratus est, ut studia Brunae peracta nisi memoria gratissima non persequeretur.

In universitatem Comenianam reversus, thesi de legibus Gracchianis latis felicissime sustenta examinibusque publicis factis gradum magistri adeptus

est. Linguam Latinam docere coeperat in schola infirmiarum, quae in oppido Slovaciae meridialis Lučenec sedem habebat. Mox equidem militiam suscipere debuit, sed postquam stipendia per longissimos 18 menses meruit, in eandem scholam revertit. Cum paulo post uxorem duxisset, Bratislavam migravit, ut ab ipso initio anni 1961 officia assistentis capesseret a professore Miloslao Okál delectus. Cui pro hoc beneficio pietatem praestare nunquam est oblitus.

Patrono eius et defensori maximae erat curae, ut adlatus iuvenis ab ipso fere die, quo munus suscepit, doctrina in classicis multo profundiore imbueretur. Quo consilio Okál animum eius ad Ciceronem remque Romanam publicam liberam ad discrimen summum adductam referebat. Simul ad eum institutiones linguae Graecae et lectiones litterarum atque artium Romanorum detulit. Officia paedagogica aliis quoque disciplinis tempore procedente aucta sunt. A sentiis illius temporis pseudorevolutionaribus plane abhorrens et perpetuitatem studiorum et systematicam actionem declarans opera virorum doctorum gravissima in memoriam revocare non desistebat, mentes alumnorum academicorum adnotationibus subinde insolentibus, quae e castula quadam ideologica funditus evadebant, ad critice cogitandum stimulabat.

Metam tamen verissimam incrementi scientifici praebuit ei facultas comorandi per unum annum in Universitate Aristotelica Thessalonicensi. Homini a quacumque parte politica alienissimo tunc opem vix expectatam tulit impetus ille primus normalisationis politicae, quae dicebatur, in qua normalisatione procedenda membra factionis communistarum quoddam modo lapsa aut haesitantia suspicionem administratorum nuper probatorum in se trahebant. Thessalonicae, ubi a mense Decembri 1970 versabatur, non solum cognitiones philologiae classicae ei patefiebant aliae ac novae, sed consequenter accidit, ut propagator linguae cultusque humani Graecorum huius aetatis apud Slovacos fieret industrius. Parum itaque a fuit, quin nostratium quicumque, qui tunc notitiam saltem primariam linguae Graecae huius aetatis sibi compararent, eo uterentur magistro.

Si autem studia eius classica repetierimus, maximam incrementi scientifici partem has *Graecolatinorum et orientalium* annales habuisse non denegabimus. In primitiis litterarum investigatoriarum, quae *Ciceros Stellungnahme zum moralischen Verfall der Republik* inscribebantur, cognitione fontium profundissima ductum se praestitit et res in civitate Romanorum a Cicerone gestas novo quodam modo inspexit. Eidem aetati ne in ceteris quidem commentationibus valedixit, cum Marcum Caelium Rufum, discipulum Marci Tullii vel dilectissimum, ad exemplum posuit. De notione virtutis apud Ciceronem explorata disertissime disputabat in commentatione *Ciceros Begriff virtus und dessen Interpretation*. Tractationibus suis recentioribus Tullium tamquam hominem litteratum (1980), pulchritudinis quidem lauda-

torem felicem (1981), rerum vero scriptorem irritum (1983) induxit, per *Noctes Atticas* Auli Gellii explicatas et enodatas (1983, 1989) indolem habitumque conscriptoris illius strenuissimi adumbrare conatus est. Postremo eventus examinationum suarum in commentatione *Die Rezeption der griechischen Kultur und Philosophie durch die Römer* (1995) critica ratione con-gessit.

Historiae cultus atque humanitatis Slovacorum nomen suum dedit non solum interpretationibus Thucydidi (1985) et Vitarum Plutarchianarum (2008) maximi aestimatis, verum etiam bino volumine operum Ciceronis selectorum verbis suis praefatoriis adnotationibusque instructo, quibus in publicum propositis (1982) interpretes Slovaci quidam tum natu minores demonstraverunt artem veterum interpretandorum sibi feliciter esse assumptam.

In Universitate Comeniana Bratislavensi Kuklica veniam docendi non prius obtinuit nisi anno 1988. Erat iam pridie ut ita dicamus ruinae regiminis communistarum totalitarii. Est prolatus ad gradum professoris ordinarii anno 1993. Extra ordinem philosophorum, cui alioquin plus quam quadraginta annos suos agiles obtulit, annis 1969–1971 primus muneri secretarii *Unionis philologorum classicorum Slovaciae* tunc conditae stabat, annis 1991–1998 eidem societati doctae factus est praepositus. Primus praeterea electus est praeses Societatis Slovacae studiis neograecis provehendis (1999).

Si vitam etiam privatam brevissime attingere licet, non habuimus, cur affectionem vere paternam in trinam prolem gaudiumque rerum a liberis bene gestarum celaremus. Insuper amorem agri permagnum in eo inesse constitit. Quo ductus arbores areasque hortuli sui non longe ab officina maxima Slovnaft oleum minerale purgante excolebat, ut animum aequum post labores intellectuales vel discidia politica semper servare posset.

Collegae nostro demerito, cultori litterarum classicarum ardentissimo, magistro cum reverentia accepto, mane diei 12. Novembris 2015 de vita decesso in exsequiis funeris gratias egerunt debitas amici discipuli sodales. Requiescat in pace!